

tamen lege, ut dotem puellis ære proprio pensitent, quarum dies cesserit post annum 1812, ac per duodennium possint haud extrahi dotes, quæ vacarint per obitum, aut demerita puellarum designatarum tantum usque ad summam scutorum 170. In eadem ad 2 et 3 dub.

Denique juxta votum ejusdem Eminentissimi Relatoris, statuit imposita salutari pœnitentia consulendum esse Sanctissimo pro absoluteione a censuris, quas præfatum Capitulum contrahere potuerit ob causam citatam. In eadem ad 7 dub.

(92. Ut æs alienum exsolveret annuit Sacra Congregatio præcibus Capituli Christiani, qui flagitabat suspensionem earum dotium, quæ iterum fuissent conferendæ; eam vero concessit usque ad debiti extinctionem, et fundi emptionem quo dotalia Christiani subsidia in pristinum revocarentur; reddita quotannis Episcopo ratione, facto verbo cum Sanctissimo. In Eugubina 21 Februarii 1835. ad 4 dub.

(93. Dominici Andreucci priores duas filias ex quo nimia laborent inopia ac descendant ab Hieronymo Bielli, qui dotali subsidio fundato, nominationis jus concessit Archisodalitati Sanctissimi Sacramenti ad S. Laurentii in Lucina, censuit Sacra Congregatio reliquis puellis præferendas, eisque scut. 75 pro singulis impertiri facto verbo cum Sanctissimo. In Romana Subsidiis Dotialis 30 Maii 1835.

(94. In seligendis puellis ad ea subsidia dotalia, quæ Joannes Baptista Bellonius testamento fundavit, Sacra Congregatio hanc methodum prælationis servari voluit juxta votum Eminentissimi Relatoris Cardin. de Antelminellis, nempe 1. ut ejus consanguineæ affinibus, cæteris paribus, semper præferantur et inter consanguineas proximiores; 2. Ut inter consanguineas et affines egenæ non egenis, aut minus egenis; 3. Ut inter egenas puellas vita et morum honestate præstantes. In Romana Subsidiis dotialium 19 decembris 1835. ad 3 dub.

(95. Omnes puellas ex propinquis vel affinibus Jo. Baptistæ Belloni descendentes posse optare ad ea subsidia dotalia, quæ ipse instituit, declaravit Sacra Congregatio juxta votum Eminentissimi Relatoris Cardin. de Antelminellis, in Romana Subsidiis dotialium 19 Dec. 1835. ad 1 dub.

(96. Postulante Parocho Plebis sextinæ, Administratore trium subsidiis dotialium a Sebastiano Borghetti institutorum; ut ad omnes præcedendas quæstiones super prælatione inter ingentem feminarum numerum exsurgentes, ut sorti omnium nomina committerentur, S. Congr. voluit in omnibus servari formam a testatore præscriptam; tumque solum sortitioni locum fieri, cum puellæ adessent conditionibus æqualibus instructæ. Cæsenaten. Distribut. Subsidiis dotialium 20 Januarii 1838.

(97. Licet Defensores Birgittæ Gabrielli et Justinæ Bennini, quæ dimicabant super collatione, et solutione subsidii dotialis ab Archiconfraternitate S. Catharinæ Senensis

præstanda, dubium peculiare concordaverint super refectione expensarum litis, etiam extrajudicialium, ex ostenta facultate ab R. D. Auditore SSmi, attamen S. Congregatio post dilatam resolutionem diei 18 Sept. elapsi anni, decrevit reficiendas esse a Justina Bennini, quæ lite ceciderat, expensas tantum judiciales. In Romana Subsidiis dotialis 26 Feb. 1838. ad 5 Dub.

(98. Aloysio Lastredinio, quem Archisodalitas suffragii de Urbe haud firmis fulta mentis impedire conabatur quominus suo jure utens terminum præfigeret ad nubendum puellis a se nominatis, Sacra Congreg. concessit veniam ut terminum adjicere possit usque ad annum XXX, quo elapso vel suam prorogaret nominationem, vel aliam nominaret. In Romana nominationis Dotium 30 Maii 1838.

(99. Ob easdem causas novum cumulum subsidiis dotialium Elisabet Scandelloni nobili, pauperi, et descendenti ex linea prædilecta a fundatore, (cui jam ob has peculiaris rationes cumulum concesserat Sac. Congregatio die 9 septembris anni 1815) denegavit, dum in decisio sub hac die standum esse statuit. Veliterna subsidiis dotialium 12 Junii 1838.

(100. Restaurata domo, cujus fructus demptis conversationis expensis a familia Severa, utpote Fundatoris hærede in tot dotalia subsidia erogandi erant, Pius Sencia ad extinguendum gravissimum æs alienum pro restauratione susceptum, proponebat in se æs alienum, onus Missæ legato adnexum et omne futurum domus periculum recipere, ubi ad unum dotalia subsidia quotannis reducerentur. S. vero Congregatio probavit propositionem juxta votum Em. Urbis Vicarii, solutis videlicet quotannis duobus subsidiis dotialibus quibus pares redditus apparuerunt; ac servato dominio domus favore legatorum. Romana Subsidiis Dot. 23 Junii 1838, ad 1 et 2.

(101. Verum, cum superius rescriptum neque casibus omnibus consuleret, ac coaretaret Soffredinii facultate prævio recessu a decisio, statuit nullum apponendum esse a Collatore terminum puellis ad nubendum, in eadem 5 Septem. 1838.

(102. Prævia facultate a Pontifice M. concessa interloquendi super ejus rescripto, quo administratores designabantur subsidiis dotialium a Felice Morovalli institutorum Episcopus, et Parochus pro tempore S. Joannis del Fosso, jus administrandi, et nominandi ad preces Fratrum Morovalli, restituit Sacer. Ordo hæredibus et descendentes Fundatoris juxta jus placitum, non retardata interim inscriptione censuum pro dote pii legati quatenus nondum fuerit peracta, docto coram Ordinario quotannis de recta administratione, et legati implemento. Perusina subsid. dotialium 15 Septembris 1838. ad 1 dub.

Quamvis autem contra ea, quæ in antea dictorum subsidiis administratione pro nullitate reclamarent dicti Morovalli ac pro nullitate dotium promissarum et nondum

solutarum; tamen censuit quoad præsentem gestionem satis provisum; quo vero ad dotes rescripsit pro approbatione pro jam nuptis; quo vero ad nuptias pro approbatione, quatenus in eis requisita præscripta concurrant. *Ibid.* ad 2 dub.

Demum in eadem causa attentata descendendum a Fundatore Morovalliorum paupertate concessit dictorum subsidiis reductionem ad formam resolut. S. Cong. diei 17 Sept. 1831, ita tamen ut suspensa remaneat novi subsidii dotialis collatio eo anno, quo contigerit solutio dotium, de quibus in secundo dubio. *Ibid.* ad 3

(103. Omnes puellas, ex propinquis, vel affinibus Jo. Baptistæ Belloni ascendentes posse optare ad ea subsidia dotalia, quæ ipse instituit, declaravit S. Congreg. juxta votum Emi Relat. Card. de Antelminelli. In Romana Subsidiis dotialium. Idem 19 Decem. 1838. ad 2 dub.

Statuit præterea, ut Fratres Excalceati S. Augustini in seligendis puellis ad eadem subsidia dotalia rem conficerent de consensu sui Emi Protectoris, ut hoc pacto viam sibi obstruerent ad odia contrahenda, juxta votum ejusdem Emi Relat. in eadem ad 2 dub.

(104. Pro dotium cumulo a Julio Silvaggi pro Romanis puellis relictarum S. C. filiabus Josephi Mariæ Antamori ex præsumpta Testatoris prædilectione opitulari benigne censuit in summa scutorum quingentorum, sub ea tamen mente, ut annuus redditus deponatur ad effectum conficiendi regulare multiplicium, donec confletur summa scutorum 500, pro qualibet, facto verbo cum Ssmo. In Romana Subsidiis dotialium 23 Novembris 1839.

(105. Ex legato Diotallevi pro dotalibus subsidiis instituto cum prælatione favore puellarum de familia assignavit S. Ordo Marchionis Scipios Diotallevi Bonadrada, ejusque filiarum egestate laborantibus annua scuta sexaginta, ad ipsorum vitam absque jure accrescendi in casu obitus, suspensa interim collatione quatuor dotium, facto verbo cum SS., minime attentis Administratorum Oppositoribus, vel in ipsa assecutione dotium eos omni Jure destitui contententibus. In Ariminen. Subsidiis dotialium 19 Decembris 1840.

#### S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Legatum dotis censetur factum sub conditione nuptiarum, quando testator puellas extraneas alicujus oppidi cum addito a causa di dote ad subsidium dotale revocavit. Quod si alia legata alterius generis cumulative instituerit, neque quantitatem singulorum determinaverit, aut fundos speciales præfixerit, tunc dos administratorum arbitrio determinatur, si præsertim præsumi possit, quod eorum prudentia remiserit. Quæ facile eruuntur ex iis quæ hic declarantur.

Aloysius de Marchionibus Albizzi, Cæsenas, ultimo quo decessit elogio, præscripsit,

ut tota sua hæreditas in bonis stabilibus collocaretur, et « — tutto il frutto che annualmente si ricaverà da tali investimenti sia distribuito dai medesimi eredi e loro successori ogni anno in perpetuo in causa di dote di povere, ma oneste zitelle, ed alli poveri di questa Città (Cesena), e voglio che fra le dette donzelle e poveri si debbano sempre considerare ed avere riguardo alle discendenti del Notaro Francesco Agostini del Dot. Giacomo Bufalini e di Girolamo Evangelista tutti e tre fino al quarto grado, ed in altre opere pie secondo le circostanze, quando lo giudicasse bene il Vescovo pro tempore di questa città, col quale intendo voglio, che li Ghini (quibus hæreditatis administrandæ munus reliquerat) e loro successori debbano andare di concerto di tale distribuzione, per la quale si dovrà sempre aver riguardo al maggior bisogno, ed alla più opportuna occasione. »

Pia dispositio habuit effectum: et anno 1832, cum ad formam testamenti pium hujusmodi legatum a Marchionibus Ghini administraretur, Marta et Marianna Bufalini de genere vocatarum, obtinuerunt annuam præstationem titulo paupertatis scut. 72. Eadem largitionem assecutæ postea sunt Vidua Palia et Adelais Evangelista, nec non tres innuptæ puellæ Augustini.

Nulla tamen ex his familiis in actu matrimonii ad hæc dotalia subsidia admitti postulavit. Quinimo eam sibi sententiam imbibuerunt, quod, si quando aliqua puella ad hanc rem petitionem faciat, suspensa executione legati circa pauperes, omnes pii legati redditus, qui eo anno percipiuntur, in puellarum dotes dumtaxat debeant erogari. Cum vero diverse sentirent Administratores memorati, supplices a S. C. Episcoporum et Regularium petierunt, ut opportunam in proposita controversia declarationem proferret.

Rogatus more Episcopus votum propitium puellis prodens, exponebat omnes quidem suspendi debere alias pias elargitiones, minime vero annuas præstationis recensitis puellis, ut innumis, adsignatas.

Duo erant controversiæ capita, quæ disceptanda occurrebant. Primum erat, num puellæ vocatæ, licet innuptæ permansissent, ad subsidium dotale jus haberent. Secundum erat, num puellis nuptis totus anni redditus esset addicendus, seu potius pecuniæ quantitas ab Administratoribus cum Episcopo esset determinanda.

Ad primum quod attinet, adnotandum est ex testatoris voluntate præsumi, quod puellas honoratas hoc beneficio frui voluerit etiam in statu innuptarum, aliter enim in maxima earum necessitate miserè deseruisset. Neque officit adjunctum a causa di dote; nam hæc additio ostendit quidem votum matrimonii, quo iisdem idonee provisum sit, minime vero obligationem nubendi importat: cum præsertim ex communi doctorum opinione legatura dotis in legatum alimentorum resolvatur, et utpote purum atque ab-



solutum reputetur; Pignat. t. ix. Cons. 166. n. 10.

At contra excipiebatur, hæc jure locum habere, cum quis ad dotem præstandam obligatur, utpote pater alique; Amost. de Caus. piis L. 4. C. 4, non autem cum agitur de extraneis, multoque minus si puellæ vocatæ sint incertæ.

Ad secundum quod attinet, petitioni puellarum proderat, quod in jure earum conditio tam favorabilis est, ut licet testator quotam dotalem præfixerit, attamen ea soleat augeri etiam per plurium annorum cumulum. S. C. Conc. in Veliter. 9 Sept. 1813, quin censetur injuriam inferri puellis vocatis, quæ cum incertæ sint, jus quæsitum non habent. Rota cor. S. M. Clem. VIII. Dec. 227.

Perperam vero objiceretur, quod pauperum ratio ex testatoris voluntate sit habenda, nam puellarum dotatio non solum ad eorum spirituale ac temporale bonum conducit, sed etiam ad publicam utilitatem, cum ex iis Ecclesia filios, Civitas cives suscipiat. Deinde puellæ in pauperum numero post habendæ, ideo testatoris voluntas non infringitur si titulo paupertatis totus anni redditus eisdem attribuitur.

At vero contra puellarum petitioni refragabatur, quod favor eisdem habitus in earum dote augenda uti gratia sit æstimanda, minime vero uti dispositio stricte et universim observanda. Quod vero objicitur puellarum dotem pauperum largitionibus esse præferendam, locum habere posse, cum redditus utrisque non sufficiat, non autem cum ita pinguis sit, ut facile utrique satisfieri valeat. Deinde pauperes præteriri nequeunt sine aperta testamenti violatione, in quo legatum dotis a legato pauperum aperte distinguitur. Pauperes insuper certi dici possunt, quatenus sunt de illa civitate; Sanchez Dub. 6, n. 13. Idque magis valet favore masculorum qui ad familias vocatas pertineant; Pascucci ad Pign. t. iv. Cons. 82. de Leg. piis. Quinimo generalibus juris principiis inhærendo, fructus æquis partibus dividi deberent, nisi quod in themate testator prudenti Episcopi et Administratorum arbitrio commiserit, ut in hac divisione majoris egestatis atque opportunitatis ratio duceretur.

Re itaque in plenario auditorio S. C. Ep. et Reg. cum titulo *Casentan. distribut. dot.* die 21 Apr. 1841, per sequentes dubiorum formulas.

1. « Se e come le giovani predilette abbiano dritto alla dote, non ostante che rimangano nubili nel caso? »

2. « Se e come si sostenga l'annuo assegno di sc. 72. fatto alle giovani Bufalini, Agostini, ed Evangelisti? »

3. « Se e quale sussidio dotale compete alle zitelle predilette da maritarsi nel caso? »

Emi PP. rescripserunt:

Ad 1. *negative.*

Ad 2. *Affirmative, donec maneant innuptæ.*

Ad 3. *Affirmative, arbitrio Administratorum cum Episcopo juxta dispositionem testatoris.*

(2. Subsidia dotalia puellis vocatis, aut sorte electis sunt tribuenda, sive nupserint in sæculo sive nupserint in Domino, dummodo testator contrarium non præceperit.

Item, si testator tempus non determinaverit, quo puellæ sorte electæ matrimonii conditionem adimplere debeant, S. C. Episcoporum et Regularium rescripsit elapso quinquennio, vel ob mortem, si matrimonium sive temporale sive spirituale locum non habuerit, dotes conseri vacantes, et aliis puellis juxta dispositionem pii fundatoris esse distribuendas.

Joannis Surchi Ferrariensis anno 1664, suam ultimam voluntatem declarans legem dixit « che de'frutti della sua eredità ogni anno si maritassero dodici donzelle povere e native Ferraresi, dando a ciascuna di loro lire 130, due delle quali dovranno essere della villa di Gradizza, e le altre dieci native Ferraresi povere ed onorate di buona vita e fama, la nominazione delle quali starà in petto alli Signori Governatore ed altri Officiali della Congregazione delle Stimate che pro tempore saranno della Ven. Confraternita. »

Piæ dispositioni non defuit effectus, et cœtus Sodalium delle Stimate hæreditatis administrationem suscepit, et puellas duodecim quotannis ad subsidia dotalia rite nominavit.

Anno 1821, cum a pluribus annis puellæ pleræque sortitione extractæ nuptiarum conditionem non implevissent, magnus superfluit dotium non auditarum numerus, adeoque magna pecuniæ vis, ex qua nullus fructus proveniebat.

Ut autem huic incommodo aliqua ratione consultum foret, cœtus Sodalium deliberavit « che le Doti delle innutte entro l'anno si dispensassero a quelle che erano state proposte, ma non favorite dalla sorte colla prerogativa dell' anteriorità a seconda del tempo del loro matrimonio seguito entro l'anno. »

Hujusmodi ratio viguit ad annum 1840, quo Præfectus Sodalitio, in dubitationem devenit, num eadem ratio Testatoris voluntati consentanea foret. Itaque Sacra Congr. Ep. et Reg. rem deduxit, exposuitque hoc modo numerum a testatore præscriptum excedi, et obligationi intra annum nubendi ab eodem impositæ nullatenus satisfieri. Ad didit autem dotes hac ratione caducas effectas, in utilitatem sodaliti saltem ex æquitate juxta præsumptam testatoris voluntatem vertendas esse.

Controversia igitur ad S. C. delata, et juxta consuetas ejusdem regulas proposita, duo questionis capita emergebant; primum circa obligationem matrimonii; secundum circa tempus, quo item esset perficiendum.

De primo referebantur variæ DD. sententiæ, quorum aliqui docent legatum dotis esse purum, ideoque matrimonii obligationem non importare; alii vero contendunt esse legatum conditionale, et ideo necessario adimplendum. At in eorum dissensione con-

cludebatur in hujusmodi controversiis præsumptæ testatorum voluntati standum esse; Amostas. de Caus. piis L. 4. C. 6, num. 16. Jamvero in facto subsumebatur nuptiarum conditionem necessario implendam videri ex eo, quod testator nuptiarum conditionem primo loco posuerat, inquit « si maritassero dodici donzelle, » etc. Hoc enim forte ostendere volebat sese matrimonii favorem, quam personarum potius inspexisse, eoque magis quin puellæ honoratæ veluti incertæ reputari poterant. Addebatur autem in casu sufficere nedum matrimonium carnale sed et spirituale, quandoquidem contrarium a testatore statutum non fuerat. S. C. Ep. et Reg. in Pisaren. 26 Aug. 1616.

Secundum vero questionis caput majorem difficultatem implicabat: neque enim testator indicaverat, quo temporis spatio puellæ sortitione vocatæ nuptias perficere deberent. Recurrendum igitur erat ad legum dispositiones, ex quibus deducebatur in genere conditiones potestativas quamprimum implendas esse *L. hæc Cond. ff. de Cond. et Dem.* De conditione vero in specie si nupserit ex aliquibus Doctoribus cum Bartolo ad memoratam legem requiri colligebatur, ut intra triennium adimpleatur; ex Montica vero de Conj. Ult. Vol. L. 11, t. 18, n. 25, eandem conditionem quandocumque et etiam post triennium posse executioni mandari.

Itaque sequentes dubiorum formulæ, quæ allatas quæstiones complectuntur, Eminentiſſimorum Patronorum judicio dirimendæ propositæ sunt.

1. « Se e quando le giovani sortite al bussolo per conseguire le doti del legato pio Surchi debbano contrarre matrimonio? »

Et quatenus affirmative infra annum.

2. « Se si abbia ad osservare il metodo adattato nel 1824, di conferire ledoti vacanti ad altre giovani proposte, e non sortite dal bussolo, che si maritano nell'anno; o piuttosto concederle almeno per grazia in beneficio della Confraternita ed in quel modo? »

3. « E quante volte l'accennata condizione non si debba adempire dentro l'anno; qual metodo convenga adattare per impedire il cumulo delle doti nel caso? »

Quibus Emi PP. in generali auditorio diei 25 Febr. 1842, rescripserunt.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, ad secundam infra quinquennium et ad mentem: mens est, ut puellis quæ ad dotem sortiuntur, detur schedula, quam ipsæ exhibere possint sive nupserint in Domino, sive in sæculo.*

Ad 2. *provisum in primo.*

Ad 3. *Elapso quinquennio, vel ob mortem, si matrimonium sive spirituale sive temporale non fuerit secutum, dotes vacantes conferantur aliis puellis, quæ sortitæ sunt in additionem duodecim annuatim conferendarum.*

REV. FABRICÆ S. PETRI.

In distributione subsidiorum dotalium erogandos esse fructus sortis superlucratæ a Sodalibus S. Apolloniæ Urbis ex investimento promissarum dotium decernitur: redintegrando prius ex eadem sorte fundo Legati Egidi in duobus locis montium, et deductis ex ejus fructibus expensis Sodalitii pro administratione honorum, necnon celebrato quotannis anniversario pro fundatoribus et benefactoribus: Romana Subs. Dot. 31 Maii 1794, dub. 1.

## E

### ECCLESIA.

#### S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Cum ex parte Decani, et Capituli Ecclesiæ Cathedralis Salmaticen. SSmo Domino nostro Clementi PP. XIII humillimæ expositum fuerit, non raro eventire posse, ut eadem Ecclesia Cathedralis, aut alia ipsi unita, quæ Universitati adhærent, ob frequentes scholarum ejusdem Universitatis rixas, polluantur; et Episcopatu vacante, vel Episcopo absente, aut impedito, nulloque Episcopo Salmaticæ commorante, neque ob Diocesium distantiam aliquo viciniore, nisi post longum temporis intervallum accedente, nonnunquam Sacrificia, et Ecclesiastica munia in iisdem Ecclesiis diu interrupta remaneant magno Scholariorum detrimento; quapropter SSmo Domino Nostro enixe supplicarunt, quatenus elargiri dignaretur facultatem, ut, tali casu occurrente, una ex Dignitatibus ejusdem Cathedralis

cum aqua a proprio, vel viciniore Episcopo benedicta possit illas reconciliare.

Hinc Sanctitas Sua benigne concessit: « Ut, vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus Salmaticæ, vel in vicinis commoretur, Vicarius Capitularis ad benedictionem Ecclesiæ pollutæ, dummodo utatur aqua a viciniore Episcopo benedicta, possit procedere: Episcopo vero causa ægritudinis, vel absentia a sua Diocesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente, vel accedente, Vicarius generalis, et quatenus ipse Sacerdotali characterem non sit insignitus, prima Dignitas ejusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in scriptis, et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, eandem benedictionem possit peragere. » Quæ omnia eadem Sanctitas Sua pro casu, de quo agitur tantum valitura, atque in exemplum non adductura, indulſit, quibuscumque in contrarium non